

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2560

**Auteur(s)** : Thomas, Perche (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1217

**Lieu d'émission** : Marchainville

**Action juridique** : donation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Charte de Thomas, comte du Perche, par laquelle il donne aux religieux de Saint-Léonard de Bellême le droit d'usage du bois mort dans la forêt dudit lieu, à raison de la charge de quatre ânes chaque jour.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 44, p. 60-61.

Texte établi d'après a

Universis fidelibus presentem paginam inspecturis, Thomas, comes Pertici, salutem in Domino. Ad universorum noticiam volumus pervenire quod cum prior et monachi Sancti Leonardi de Belismo Majoris Monasterii, in foresta mea de Belismo, que dicitur Hermufeti, se habere dicerent, ad usagium domus dicte, omne nemus mortuum, quantum quatuor asini, ter in die, apud Belismum et Sanctum Martinum adportare possent ; et hoc, in tempore antecessorum nostrorum, dicte domus prior et monachi per multa tempora possedissent, licet id a nobis aliquando eisdem fuerit contradictum : Nos tamen, salutem anime nostre et antecessorum nostrorum tandem misericorditer attendentes, volumus, concedimus, et imperpetuum in puram elemosinam confirmamus quod prior et monachi predicti, in predicta foresta nostra, percipiant, pacifice et quiete, quercum et fagum sicas stantes, et boulum et salicem et marem salicem, et alnum et arrablum et boldenam et omne genus mortui nemoris, preter charmum et trenblum et fraxinum, quantum quatuor asini ad predicta loca, ter in die, poterunt adportare. In venditionibus autem nostris novis, nichil percipient, donec decem anni a venditionis tempore sint elauxi. Si autem contigerit quod prefati monachi, in predicta foresta, non possint de predictis generibus nemorum usagia sua more prescripto sufficienter invenire, forestarius noster, ab eisdem vel eorum nuntio propter hoc requisitus, in ipsa foresta eis tenebitur demonstrare et providere de alio nemore unde quatuor asini ter in die sufficienter valeant honerari. Si autem forestarius ibidem assignatus id malitiose distulerit sive noluerit providere, dicti monachi vel famuli eorum asinos suos, juxta numerum pretaxatum in predicta foresta de alio nemore poterunt honerare. Cum autem prior et monachi sepredicti in predicta foresta, in predecessorum nostrorum temporibus habuissent pascua libera ad usum duarum equarum et sex boum, nos eisdem idipsum concedimus libere et pacifice ad assignationem forestarii nostri perpetuo possidendum. Ne autem hoc possit alicujus malitia in posterum perturbari, sed imperpetuum obtineat firmitatem, in confirmationem predictorum et testimonium presentem paginam fecimus sigilli nostri munimine confirmari. Actum est hoc anno gratie M CC XVII. Apud Marcheivillam.